



Q. D. B. V.

121

# Accidens extra

Subjectum suum,

SUB PRÆSIDIO

*Humanissimi DOMINI,*

M. GEORGI CASP. KIRCH-

M A I E R I,

Amplissimi Collegii Philosophici, Ad-  
iuncti meritissimi,

*DN. Præceptoris & Fautoris sui statem  
colendisimi,*

Publicæ Eruditorum Disquisitioni  
sistet,


A D A M VON B E R G /

Rotenburgo-Tuberanus,

*In Academ. VVitteberg. Ad diem Januar. 12.*

*Anno M. D C. L X I.*

*Horis locoq; solit.*



Literis Hæred. MELCHIORIS OELSCHLE-  
GELII.



PROOEMIUM.



ΠΑΙΔΕΤΟΣ & *præcox animadverſor eſt, qui ea, quæ nondum legitime percepit, carpit. Peſtilens hoc nonnullorum cacœthes, & præſentiſſimum obtinenda veritatis impedimentum. Oportet omnibus ſe exuiſſe præjudiciis, ingenioſè diſcuſſurum. Quemadmodum enim, qui per nubes nebulaſvè vident, oppidò falluntur; ſic qui nunc favoris, nunc invidia nubeculis indulgent, non poſſunt non à veritatis juſtitiæq; tramite abluere. Compoſitæ, & ad alta nate indolis eſt, humiſſima quæque de ſe ſentire: & quæ ab aliis dicta, nondum capias, febrili animorum eſtu non exagitare. Sufflammandus in herbâ, hic teter ſæculi mos eſt: magna alioqui, cum in publico verſeris tandem, creaturus mala. Nemo cavillando alios, evaſit doctus. Quod idè præmonendum duximus, ut ne quis vel noſtrum hunc criminaretur titulum, vel dogma ipſum, quod ſuſcepimus defendendum, legitimeq; explicandum, conſectaretur ante, quàm perlegerit, ſine partium affectu, univerſa, & ad æquam juſtitiæ bilancem appenderet modèſtè, ac examinarit. Demonſtrandum hic verò (1.) accidens poſſe eſſe extra ſubjectum. (2.) Accidentia multa, de facto eſſe extra ſubjectum. DEUS teſtis noſter, Deus adjutor noſter!*

§. I. Subtiliter omninò diſputatum jam olim ab Interpretibus, aliisque fuit, & diſquiri curioſè etiamnum ſolet: *Utrum accidens extra ſubjectum eſſe poſſit, an verò non? Ubi licet haud parum conferat utilitatis, noſſe, qualiſnâm formalis ratio accidentis, ut ſic conſiderati, ſiet? & num inherentiæ actualis, an verò aptitudinalis, veluti loquuntur, intelligenda veniat? ne tamen ultra noſtras abeamus vacerras, cogendus in brevia diſcuſſus. Ad formalem accidentis rationem ſufficere inherentiæ aptitudinalem, h. e. ut poſſit ſubjecto ſuo inexiſtere accidens, licet non actu tempoꝛe & de facto inexiſtat,*

stat; docent post *Eustachium Toletum, Sumium, Mendazans, Conimbricenses, B. Martini* libi. 2. Exercit. Metaph. 7. theorem. 1. p. 941. *Franciscus Abra de Raconis, Arriaga, Oviedo, recentiores alii.*

§. II. E contra verò actualem inhærendi requirunt modum, ut de facto, suo semper inhæreat subjecto, accidens, præter alios, ex Nostris quoque, (*quos loco veneramur debito, hic enim in veritatis Philosophica foro cum litigemus, agendum incorruptè est*) Reformati, quos quidem nos sciamus, statuunt communiter. Omnium accerrimè pro hâc opinione obtinendâ, contentionis reciprocavit ferram *Adrianus Heereboord, Lugduni Batavorum, Professor*, cæteroquin subacti Viri iudicii, nisi suis plerumque inferviret hypothesebus, volumi. 1. disp. ex Philof. select. prælim. part. post. pag. 5. 6. 7. & volum. 2. Meletem. Iuorum, part. 2. p. 189. & seqq. *Hoc igitur est, ait, quod argumentis & rationibus conabimur, nempe absolute simpliciterq; impossibile esse, accidens aliquod separatum, sine subjecto, per se existere.* Cui affinis est sententiæ, *Petrus Fitanius Solon, Cleracensis, in Gallia, Theologus*, in suis, quas scripsit, divinæ & transnaturalis Philosophiæ, Exercitationibus.

§. III. Inter cineres hîc versaremur dolosos, & unâ quidem, lupum, alterâ, vulpem, àure teneremus, nisi in parato nobis esset cura circumspectior. Pontificii etenim, ut barbarè juxta & absurdè ita appellatum transsubstantiationis, asserant commentum, priori, tantò facilius assurgunt puncto, quantò favorabiliorem suo ipsorum somnio, sententiam prædictam esse subolfaciunt. Somniant nimirum, in Eucharistia Sacra, *nuda, sine substantiâ, accidentia, & qualitates meras, à pane scilicet superstitem colorem, saporem, figuram, ac magnitudinem, sine subjecto pane Eucharistico, cujus substantiam mutari, & in benedictum Christi abire corpus, adesse & relinquere.* Quæ quidem doctrina perditissima est, & à nostro, ut eandem refutemus, foro aliena. Theologi hic viderint. Non idèò equidem absurda, quòd statuat, per absolutam Dei potentiam, accidentia à suis separari subjectis posse; quam ipsam etiam sententiam nostram, nos paulò post facie-

ciemus: sed quòd extra scopum & necessitatem, ab ordinariâ Dei & naturæ viâ, ad extraordinariam illam, absque gravi ratione, temerè prolabatur.

§. IV. Reformatorum verò schola, posteriori idèò patrocinatur asserto, ut hoc ipso pugnet felicius ac obtineat, propria nec communicari posse, nec separari etiam, e. g. locum à locato, nec in pluribus, corpus unicum posse esse locis, per singularem etiam Dei dispensationem: quam πολυτοπίαν, illi ἀνιλολογία vocitant. Vidit hoc Heereboordius, καὶ τῆ ἑσπεύσει καὶ δύναιμι ἐδύλευσε. Detectus error utrobique est. Turtior purgatioque via reddita. Dicimus nos, nullo inde ulli partium accedente lucro, necessariam haud esse ad essentiam accidentis, actualem subjecti inhærentiam. Ubi antequam vel nostram comprobemus sententiam, vel adversam confutemus, quid per inhærentiam sibi velint Doctores, indagandum. Omnes autem dependentiam à Subjecto, ut causâ materiali indigunt. Sic quærenti cur quantitas accidens sit? quoniam, inquit, à subjecto suo, materia nimirum, in esse dependet. Cur substantia substantia sit & dicatur? quia, ajunt nonnulli, per se subsistit, & recipere potest accidentia.

§. V. Ast quòd dicunt, minus dicunt subtiliter ac verè. Do demonstrandi. Primò etenim formæ materiales quoque, quas substantias creatas atque incompletas esse, nemo saniorum inficiari tutò potest, à materiâ subjectivè perpetuò dependent in esse, fieri atque operari. Forma equi, canis, scarabæi, quercûs, naturaliter nec esse, nec operari extra suam potest materiam, sed ab ea subjectivè pariter dependet. Nego igitur accidentis id absolvere rationem, ut à subjecto suo tantum perpetuò dependeat. Scio quòd informativè substantias talis modi, materiæ inesse limitent, accidentia verò inhaesivè. Benè. Sed cùm per inhærentiam, nihil aliud nisi necessariam perpetuamque à subjecto & materiâ dependentiam interpretentur, stabit de formis materialibus, instantia. Quanquam & accidentia ipsa plurima informativè quoque suis inexistant subjectis. Informat sanè qualitas, pro sua, quâ & potest & debet, ratione: accidentaliter nimirum. Informat ad intelligendum,

non animam tantum, sed intellectus, quoque, hominem. Illa principaliter, hic minus principaliter. Politicum prudentia, Ars Medicum, Sapientem sapientia.

§. VI. Deinde non actuum quid per se subsistit, quoniam substantia est. Non enim repugnat, saltem divinitus, substantiam sine omni subsistentia propria conservari. Et quid tergiversatione opus? Humana certe in Christo natura, quam in tempore assumpsit λόγος, substantia revera & est & dicitur, cum tamen propria omnino careat subsistentia, quippe quam a λόγω communicatam habet. Vides profecto, formalem substantiam ut sic, rationem haud esse eam, quod per se & ex se subsistat. Cum realiter ab ea separari possit. Potest igitur existere substantia, ut tamen in se non subsistat. Quod argumento est, subsistentiam cum existentia per se, non, veluti loquuntur, a parte rei identificari.

§. VII. Sed & illud incommodissime est dictum, in formali substantiam conceptu includi potentiam ad recipiendum accidentia. Duriter hoc inquam antiqui atque inconvenienter. Probo. Potentia enim recipiendi accidentia non omni competit substantiam. Deo sane propriissime dicta substantia est, neque tamen idem capax est ullius accidentis. Hinc cautiores facti Philosophi sequentes, substantiam predicamentali saltem, talia assignavere. Deinde sunt quoque accidentia, quae aliis substantiam accidentibus, ut ecce, quantitas, unde locus oritur, qualitas unde mutabilitas & contrarietas con-surgit. Quanquam utraq; *subjectum ut quo potius, quam ut quod, nominanda.* Quid? quod & vitiosus committatur circulus, dum substantiam per accidens describitur, & ens absolutum substantiam, in respectivum transmutatur.

§. VIII. Sed nunc intrepidè, ut ad alias accedamus probationes, statuimus, *accidentia, etiam propria, realiter, per absolutam Dei potentiam, a suo separari posse subjecto.* Argumentatur: *Q. realiter a se invicem differunt, illa realiter quoque per absolutam Dei potentiam separari possunt. Accidentia, etiam propria illa quarti modi, inquam, realiter a suis differunt subjectis atque substantiis.* **E.** Major in confesso est. **Quemadmodum enim**

nim (verba sunt accuratè hîc pronunciantis Pauli Slevogrii) se- *Disp. A-*  
 parabilitas argumentum est realis distinctionis: ita realis di- *cad. Je-*  
 stinctio, est argumentum separabilitatis, quæcunque enim *nenf. 4. p.*  
 à parte rei distinguuntur, possunt per potentiam Dei sepa- *83. 0. 14.*  
 rari: & quidem si distinguuntur ut res & res, possunt positivè sepa-  
 rari, ut utrumque existat, sed unum seorsim ab alio: si verò ut res  
 & modus rei, possunt separari, ut res existat sine modo, licet  
 modus non possit sine re. Minor à nemine antea negatur.

§. IX. Pergimus hoc modo. Q. non importat contradi- *sect. 1.*  
 ctionem in adjecto, id Deo est possibile. At substantiam esse, & carere *Phil. sobr.*  
 tamen propriis, realiter ab eo separatis, non importat contradic- *qq. Log. i.*  
 tionem in adjecto. E. Major axioma est. Minor probatur. Q. extra  
 rei essentiam est, eo negato, non illicò essentia ipsa negatur. Si enim  
 negaretur, inquit B. Meisnerus, tunc utique ipsam & σίω in- *sect. 1.*  
 grederetur. Atqui proprium omne est extra subjecti sui essentiam. *Phil. sobr.*  
 Non enim est ουσία τινός sed ουσία σίω, & πούτων: rem non constituit, *qq. Log. i.*  
 sed constitutam sequitur. Prælaudatus Meisnerus urget & seqq.  
 Q. se non respiciunt ut affirmans & negans, iis nulla implicatur con-  
 tradictio. Subjecti essentia, & (accidentis) proprii absentia, aut se-  
 paratio, se non respiciunt ut affirmans & negans, uti supra probaba-  
 tur. E. Quid? quod & reverà concipi potest sine alio, à quo realiter  
 differt, id certè non destruitur eo absente ac separato. Atqui substan-  
 tia concipi reverà potest sine accidente, & accidens sine substantia.  
 Probatur assumptum: Substantiam enim dum concipio, tale  
 quid mihi imaginor, quod primò & per se existit, remque intrinse-  
 cè ac primariò constituit. Accidens dum cognoscere laboro, tale  
 quid concipio, quod primò rem, in qua esse dicitur, intrinsecè non  
 constituit, sed est extra ejus conceptum. Uti non intempestivè ob-  
 servavit Rodericus de Arriaga *Disp. 4. Metaph. sect. 6. num. 33.*

§. X. Quin ipse quoque Mathematicus, quantitatem  
 ut accidens considerat ac concipit sine subjecti, cui inest, con-  
 notatione. Utcunque de facto materiæ naturaliter semper  
 inest quantitas. Quod certè nec posset, nec faceret, nisi nostro  
 hoc niteretur fundamento. Frustrà verò Heerobordius est, dum  
 variarum adminiculo distinctivularum, huic satisfacere  
 conatur rationi. Nec hîc admisero illos, qui omnipotentiam  
 divi-

l. 2. q. 36.  
p. 652.

divinam ὑπὲρ νόον, ὑπὲρ λόγον καὶ ὑπὲρ πάσαν κατάληψιν agere valentem, arctissimo stultæ rationis modulo γεωμετρεῖσσι. Reformati verò sunt; qui *impossibile, absurdum, contradictorium*, sumque αὐτοῖς ἔφα clamitant subinde & ingeminant. Quibus, in, de Loco, tractatu, judiciosissime B. respondet Martini: *ὁ μήτε, quomodo tu scias, quid Deus possit, cum nondum scias, quid natura, vel tu ipse possis? Deus potest aliquid ex nihilo producere: dic mihi, quomodo possit? En ut potest aliquid ex nihilo producere, quod tamen non intelligis: ita etiam potest aliter, se velit, naturam disponere, quod etiam non intelligis.*

§. XI. Demonstratum hæcenus ac evictum est. (1.) *ad esse accidentis præcisè non requiri actualem inherentiã in subjecto.* (2.) *Accidentia propria, subvis utrobique extremis, per absolutam Dei potentiam omninò separari à subjectis posse: ita tamen ut eorũ, nihil interim decedat essentiæ, licet ratio existendi extraordinaria ibi atque singularissima sit, inusitato quodam & à nobis explicatu impossibili modo sustentandi. Quis enim miraculorum divinorum secreta vestigaverit ac exposuerit? Neque opus est colligere illicò ac dicere cum nonnullis: aut, si salva manent accidentia talia, per se existant, atque idèò substantia fient, quod contradictorium: vel à Deo ipso, seu subjecto sustentabuntur.* Ad quod prius, supra equidem respondimus, cum de substantiæ conceptu ageremus. In posteriori verò connexionem nullam planè deprehendimus. Quis enim largiatur largissime argumentanti: *si extraordinario & inusitato modo, separata à subjecto suo accidentia propria sustentari possunt; Ergo Deus fiet subjectum talium accidentium? Quasi non efficienter, accidentia materialia sustentare quoque possit Deus?*

§. XII. Nunc, quòd accidentium plurima, è suis ordinariis constituta sint subjectis, docendum porrò restat. Plurima dico, & quidem *non materialia illa, sed intentionalia, & ut loquuntur spiritualia.* Communiter accidens describunt: *quòd sit ens per se non subsistens, sed alteri inherens, tanquam subjecto.* Veruntamen cum & substantiis competat quòd per se non subsistens, ubi patet ex mysterio incarnationis, ubi Verbum af-

sum-



ipfit substantiam quidem, sed tamen non personam etiam humanam. Unio itē materiæ & formæ in composito, & substantia, in natura singulari ac completa, realiter sunt substantiæ, & tamen non per se subsistunt. Ergo communis ac quidditativus conceptus substantiæ, non est simpliciter positus in substantia per se. Antecedens approbat nobiscum *Dn. Slevogtius*, quoniam compositum ex materia & forma, essentialē includit unionem rei unum, & unio illa est ratio formalis compositi ut sic: ergo est substantia, non accidens. (Consequentia patet: nam ex non substantia, substantia fieri nequit.

*loc. cit. §. 12.*

§. XIII. Per inhærentiam verò in subiecto, cum dependentiam à materia intelligant, hæc verò nec à formis, quas vocant, materialibus, sit aliena, quid hîc sentiamus, supra insinuavimus. Adhæc, excluduntur ita accidentia ea, *que non insunt nec inherent, sed adsunt & adherent.* Ut ecce locus, tempus. Non enim in homine locus est, sed in loco homo est, leo est, arbor est, & omne corpus naturale. Rectè Incomparabilis SPERLINGIUS: *quasdam affectiones in corpore, quas aliam extra corpus esse clam neminem est. In corpore sanè est quantitas, est qualitas. Extra corpus est locus, tempus. Locus non in Petro est, sed Petrus in loco. Neque tempus in Paulo, sed Paulus in tempore.*

*l. 2. instit. phys. c. 1. p. 302. ad præc. §. 5. & 6.*

§. XIV. Equidem, quid hîc excipiant, non latet. Ampliandum ajunt inhærentiæ terminum, ut modum adherendi quoque connotet, & sub inesse, terminum ꝑ adesse consignificari volunt. Sed si distinctissima sunt inesse & inhærere, atque adesse & adherere, loquendum commodius fuisset. *Si aliud est terminus, aliudque obiectum, vicimus.* Dico: *ad adesse terminum, ad inesse subiectum importare.* Adest in exercitu, homo homini, non inest. Inest anima homini, non adest. Loquendum propriè, ubi licet. *Ubi fas non est, tum rem, locus. Terminatur in oculo, speculo, aqua limpida aut metallo terliore species Alexandri, non subieclatur ideo. Radii ipsi e sole egredientes, ad inferiora progredientes, terminantur opaci interventu, at-*

que ideo resiliunt ac reperiuntur, non recipiuntur sub-  
jective. Locus ipse, qui merissimum accidens est, non reci-  
pitur, sed recipit ac terminatur.

§. XV. Hoc nimirum est, quod & ante moneramus,  
& nunc prolixiuscule persecuturi sumus. Accidentium e-  
nim *alia materialia, alia intentionalia & spiritalia*. Accom-  
modè SPERLINGIUS: *differunt, inquit, dupliciter cum pri-  
mis: inhesionem & operationem. Reales ac materiales, in subiecto, à  
quo oriuntur, remanent, & extra se non diffunduntur. Calor ex  
igne, non tendit in aërem, sed ubicunque calor est, ibi ignis est.  
Frigus etiam ex aqua in aërem non migrat, sed ubi frigus, ibi vel  
aqua, vel aquæ atomi. Intentionales verò, in subiecto, à quo ori-  
untur, non manent, sed diffunduntur in obvia quavis. Lumen in  
sole non manet, sed à sole in mundum inferiorem spargitur. Ab  
omni etiam stellarum exercitu, qualitates variæ, quibus variè  
terre, unde aër, cunctæque his contenta afficiuntur, diffundun-  
tur.*

§. XVI. Idem de speciebus sensibilibus est judican-  
dum. Entia sunt, accidentia sunt, extra subiecta sua sunt.  
Vitrum vino rubro plenum, ruborem representat gemi-  
num, linteum si apponas candidum, aut puriorem, subri-  
lloremque chartam. In vino ipso, materialis rubor est,  
non quod ex materia constet: quid enim absurdius? Sed  
quod in materia naturaliter semper sit, & ex eodè natura-  
liter haud migret. In approximato linteamine aut charta,  
spiritalis ac intentionalis, dependens, productus effi-  
cienter, ac emanans à priori. Sub viridi cubantes arbore,  
viridi arbore perfunduntur. Viriditate hæc, fluente ab  
illa: simulacro ab objecto, specie à re. Intellexit negoti-  
um, *Italorum ingeniosissimus Hieronymus Fracastorius Peronen-  
sis, impiger naturæ secretioris scrutator. Hinc inter alia ad M. Antonium Flaminium & Galatium Florimontium,  
p. 68. in appendic. operum Philosopho-Medic. scribit:*

*Nuper enim tenuēs species, simulacraque  
rerum,*

*QUÆ FLIERE EX IPSIS dicuntur, per-  
que meare*

*Omnia, dum ſector meditans, tacitusque re-  
quiro*

*Avia ſylvarum & ſecreta ſilentia ſolus,*

*Cognovi tamen bis ſpectris illudier ipsis:*

*Ut, ſenſus feriant noſtros, ſemperque laceſ-  
ſant,*

*Perque fores, caulasque animæ ludantque,  
meentque.*

*Ac remeent, - - - -*

§. XVII. In ſpeciebus hiſce atque ſimulacris, uti  
duo continentur, ita negligenda haud ſunt. Adeſt enim  
primùm ſimilitudo, adeſt etiam proceſſio. Piſcator amni  
aſtans, ſuam ubique & circumfert ſpeciem & in aqua tum  
repræſentat limpida. Egrediuntur ſpecies hæ, & per opa-  
ca quoque corpora nonnulla meant. Sunt enim ſpirita-  
les, carent dimensionibus, carent confuſionibus. In uno  
muſci angulo, ſonorum, odorum, colorum ſpecies innum-  
meræ. Videmus ſine ſpecierum commixtione, plurima  
candelarum, per foramen, in objectum immiſſa planum,  
lumina. Adde ſtellarum admirabiles, ſub occultis qua-  
litatibus, ad nos cœlitùs delatis, influxus. Inter agens  
& patiens certè, uti ſemper alibi, ſic hîc requiritur conta-  
ctus, copula, medium. Virtutum tamen atque qualita-  
tum ſpiritualium, non corporum, à ſe quippe remotiſſi-  
morum, interventu. Egreditur idcirco aliquid è ſtellis:

non substantia, non corpus, sed accidens & spiritualis qualitas.

§. XVIII. Ut planius intelligamur, Addu-  
bit adduxisse locum, non sine sapientiæ condimen-  
to adductum alibi in, de speciebus sensibilibus, An-  
no M. DC. XXXIII. d. 20. Decemb. à B. SPERLIN-  
GIO, habitâ Disputat: 8. X. *Manet in objecto sensibi-  
li, materia, non ad sensuum migrat organa. Manent et-  
iam qualitates materiales, neque suum deserunt subje-  
ctum. Species verò hæc diffunduntur, & ipsa quoque  
corpora penetrant. Non deserit ignem calor, neque frigus  
aquam. Clausis fenestris, munitisque probè partibus  
cunctis, non egreditur hypocausto calor. Neque intrat fri-  
gus. Porta verò ubi datur, & hoc ingressum, & ille egres-  
sum tentat. Imagines autem hæc, liberum habent transi-  
tum, & per aerem, per vitrum, aliaque corpora ruunt pe-  
dâ inoffenso. Cernimus sanè per vitrum, ambulantes in  
foro, ac plateis homines. Campanæ aut tubæ sonum, in Mu-  
seo undique clauso, haurimus auribus. Colloquimur clausis  
foribus.*

§. XIX. Nunc explicandi canones, & qui nobis  
adversari quodammodo videntur, conciliandi sunt. Axi-  
oma est: *accidens non migrat de subjecto in subjectum.*  
Hoc quomodo cum nostrâ conveniat sententiâ, qua-  
ritur. Dicimus nos, intelligendum id unice de ma-  
terialibus, non item de intentionalibus. Axioma est:  
*Accidentis esse est inesse.* Valêt iterum primariò de reali-  
bus seu materialibus. Fallit de intentionalibus seu spiri-  
tualibus. Loquitur etiâ de potentiâ naturæ ordinariâ, que  
vix Domini extra ordinariis, præjudicare nullo potest  
modo. Sed & formale, eo ipso exprimit haudquaquam.

Quem-

Quemadmodum in antecedentibus est monstratum. Axioma est: *Unum numero accidens non est in duobus numero subjectis.* Loquitur verò (1) de accidente materiali, & eo quidem simplici. Simplici inquam. De fide enim, quæ accidens est aggregatum, & notitiæ nomine in intellectu, assensus autem intuitu in voluntate residet, pronuntiandum aliter. (2.) Unum numero accidens simplex non potest naturaliter nimirum, in duobus simul esse subjectis, potest tamen per singularem Dei dispensationem; supernaturaliter. Sicuti & unum numero corpus, per extra ordinariam Dei potestatem in pluribus simul esse potest locis, sine contradictionis, inde orituræ, metu.

§. XX. Nèque illud nobis quicquam derogat, quo *accidens statuitur ens esse propter substantiam*: atque hæc quidem primariò, istud verò secundariò. Simus faciles in verbis, in re si modo conveniamus. Sensus erit: Substantia primariò est ens, & rem primariò intrinsicè, & que constituit: accidens secundariò atque extra quidditativum essentiæ conceptum, rem mutabiliter denominat. Nemo hinc contrarius existet facile. Sic & subjectum omne & prius & antiquius adjuncto: Dar illud, hoc recipit: Dare verò nobilius, quàm accipere. Atque tamen idè à subjecto suo, suam non aëturum sortitur quidditatem, adjunctum: quia propter substratam ejus præsentiam, adjunctum & est & dicitur: Aliud proinde, ut colophonem imponamus, *est esse, aliud subsistere.* Hoc à substantiis ordinariè, per dependentiam, subjectivam, habent accidentia: illud à seipsis. Primariò substantiæ per se sunt, secundariò accidentia. Καὶ ταῦτα ἢ μὴ ταῦτα.

T. O. Δ.

**N**escit sub cineres virtutis gloria condit;  
Sed tandem vires exserit illa suas;  
Atque suos largo foecundat foenoris usu,  
Cultores. Testem? BERGIUS ipse foret;  
Cui, dum docta premit Doctorum pulpita,  
laudem

Conciliat virtus : Ipse ego grator ovans,  
*Christianus Trenschius.*  
P. P.

•••••  
**A**lta petis : laudo, Clari conaminis ardor  
Hic facit, ut Bergi nomen in omen eat.  
Concelebrant Mense : verigratantur Amici :  
Annuit ipse Deus. Quare ego vota  
dedi.

ὁλοφύχως.

M. GEORG. CASP. KIRCHMAIER,  
F. P. A.

---

*Ad Pereximium, & Humanissimum*  
*Dn. RESPONENTEM.*

**Q**ui, DILECTE, Tibi non possem fausta precari;  
Dum novus annus adest, dum pia bella mo-  
ves?

Eja precor TIBI sit felix novus annus, & ausi  
Sudorisque TUI pramia digna feras!


GEORGIUS SOEHNLINUS.  
Salt

**S** Alt ein! ergötze dich! du bist genug geflogen!  
**H**ERR WILDEN/ hale doch ein! besiehe wo du bist/  
 Eh' dir das steigen noch das junge Leben frist;  
 Bistu doch schon dahin/wo Ruhm und Ehre liegen.  
 In stille/nicht zu Feld/ und dir das frohe siegen  
 Einstimmig legen zu. Wer also wohl gerüst  
 Mit früher Wachsamkeit / wer immer fertig ist  
 Mit **BERGEN** gleicher müh noch Himmel an zustiegen  
 Wie Du/der kömmet hoch. Du hast gewonnen Spiel/  
 Du hast den **BERG** schon ein / darauff der Musen Ziel:  
**W**ILD hat gesteckt; du red'st von hohen Dingen  
 Auff hoher Künste Stul: d'rüm ruffen **BERG** und  
 Thal.

Aus Francken Seegen zu/ und wünschen allzumahl:  
 Daß dich **W**ILD von diesem **BERG** kein Unfall möge bringen.

Dieses schreibet und schreyet auch Freund-gesin-  
 net zu / seinem süßen Hertzens-Freund und  
 geehrten Herrn Stubengesellen.

Johann Georg Sauer.



**D**iversis diversa placent, Tibi, dulcis amice,  
 Subtilem & raram sumere materiam  
 Ingenii dotes visum est exquirere claras:  
 Conatus pollens laudis honore suæ.  
 Ut dignos digni semper comitantur honores;  
 Sic quoque, Te meritum præmia, honorque  
 manent.

*Paucula hæc Sympatriotæ atque amico  
 maximo properante scribebat  
 manu*

**GEORGIUS LEONHARTUS MARTIUS.**